IACOBI MANCINI POLITIANI ... DE RESTITUTO PISANORUM TEMPLO IN...

Giacomo Mancini

XXXV
20

1035
20

CALIX

19

Arc. 20

IACOBI MANCINI POLITIANI,

PVBLICE APVD PISANOS HVMANAS LITTERAS TROPITENTIS.

DE RESTITVTO PISANORVM TEMPLO in Assumptione VIRGINIS

ORATIO.

Ad Senatum, Populumque Pisanum.



FLORENTIÆ Apud Sanctem Bacciolinum.
Pro Antonio, & Iohanne Cianfis Bibliopolis Pisanis.
MDCIV.

Consultis Superioribus.

IACOBI MANCINI

PATRICII

PVBLICE APVD PISANOS

HVMANAS LITTERAS

DE RESTITVENDO IN TEMPLO

ORATIO.

1035

IACOBVS MANCINVS POLITIANVS SENATVI, POPVLOQ. PISANO S. P. D.

ADmirabar vestræ vrbis antiquitatem, nobilitatem, potentiam, dum fere puer poetas, atq; historicos legitarem. Nam Latinus vates memor eiusdem vetustatis mille armatis egregiis hominibus opē Aeneæ tulisse in Turnum Pisas, alij vero a Pelope, alij a Piso Celtarum Rege antiquissimo conditas fuisse testantur. At Cato Originum incertam quidem vrbis adificationē esse tradit, cum tamen ambigat Trachonem Tyrrheno ortundum primum fuisse eius adificandæ auctorem Nec desunt, qui ab Aepeo Troiani equi fabricatore id factum esse confirment. Ego vero ex tanta scriptorum varietate id vnum meo iure dicam, cum ipsa fere antiquitate vrbem vestram esse comparandam, cuius adeo est gero

mana nobilitas, vt vtriusque nomine idem continuo præ-
dicetur. Adulta vero, & confirmata ætate, cum maxi-
ma bella à maioribus vestris gesta, clarissimas adeptas
victorias, Basilicamque vestram ex iis conditam repere-
rim, nihil habui antiquius, quàm vt apud vos essem, iuuen-
tutemque vestram ad humanitatis studia informarem, his
omnibus addito Serenissi. Magni Ducis FERDINANDI
aquissimo Imperio, celeberrimo omnium disciplinarum
Gymnasio, ac summa omnium rerum, quibus hic frui-
mur, felicitate. Quibus non mediocriter post meum ad-
uentum captus; grauiter cecidi templi vestri casu acer-
bissimo, quo tum celeriter magnificentius restituto, hanc
habui orationem, quam ego vobis omnibus addictus, iis-
dem dicandam existimaui, eamque, vt me humaniss-
ter excepistis, sic fore vobis gratam confido, quæ & li-
benter legatis, & auctoritate vestra tueamini. Valete.
Pisis, 17. Kl. Septembris 1605.

IN ASSVMPTIONE VIRGINIS ORATIO DE PISANORVM TEMPLI RESTITVTIONE

IACOBI MANCINI POLITIANI,

AD S. P. Q. P.

Furentibus flammis, grauissimoq. casu magnificentius hoc nobis templo restituto, Reuerendissime Pro Antistes, Venetidi sacrorum cultores, Prætor illustrissime, Consules, ac Senatores clarissimi, Vosq. Ciues nobilissimi, quod parta ex hostibus sæpe victoria maiores nostri bello meliti, ac Dei Matri nobilioribus, quam possent, ædibus decorandæ studiosi ipsi Virgini dedicarunt, eiusdem ex ore mihi vicem audite, Quasi palma exaltata sum in Cades. Nam si memoria repetantur aucta tecta in cinerem magno ciuitatis luctu conuersa, solidæ, excelsæq. columnæ tãta cura, atque labore,

ex

ex longinquis regionibus conquisitæ, momento temporis paruo fractæ, atque dissipatæ. Aræ nobilissimo ex lapide, at nobiliore etiam artificio perfectæ, deformatæ, atque deiectæ. Tanta Organum excellentia, vt suauissima eius voce diuinum reminiscaremur melos, isdem incendij viribus consumptum. Solidum ex marmore pauimentum in minutissima frusta redactum. Valuæ ex ære conflatæ, atque ex orientali plaga quasi Pisani Populi victoriarum testimonia locupletissima ad nos perlatæ, immo flammarum æstu liquefactæ. Omnia denique vel combusta, vel e flammis semiusta vix erepta, quasi nauta diu ad ipsam desperationem obscuro turbine concitatus vndis iactatus, votisque vota connexa in sicco littore libentissime soluens, incredibili gaudio exultabimus, summoque Deo, ac Virgini in hac prima post fere euersum, ac restitutum templum sacrorum ad assumptam Virginem celebritate, debitas, quas possimus, gratias referemus. Quod vt præsentius quisque faciat, attentis examinemus oculis miro splendore tecta reconditæ. Columniores erectæ columnæ. Aræ vel ad pristinum restitutæ splendorem, vel nouæ etiam dedicatæ. Organum tali elaboratum arte, vt et nullum in Italia, vel apud exteras nationes comparetur.

Paul-

Pauimentum gratiori lapidum varietate compositum. Refectæ ex ære valuæ, non simplici vt antea rudiq. artificio incisæ, at paruolis tam affabre signis exculptę, vt nil nisi motum, ac vocem in ijs desiderare videamur. Multa præterea vel prudenter sublata, vel mutata sapienter, vel splendide quidem addita. Quod vbi fecerimus, tunc & felicem culpam, & gratum incendium, & fortunatum casum appellare debeamus; magnumq. illud nostris personet auribus; Quasi palma exaltata sum in Cades. Palmam tunc esse nobiliorem, cũ ex maiori rerum conflictione oritur, testes habemus maiores nostros, tot rebus per eos gestis, vt locupletiores reperire nusquam valeamus. Quid enim in vrbe nostra conspicimus, quod non insigni aliqua victoria sit confectum? At vero imprimis templum hoc inter omnia terrarum orbis augustissimum innumeras nobis palmas ita commemorat, vt vrbis nostræ simul in religione culmen, & in bello virtutem nulli hominum secundam ante oculos ponat. Typus est triumphi & gloriæ palma, at qui triumphus, quæ gloria sit illustrior, quam ea, quę terrenis despectis, quasi degustata sanctitate in sublimibus versetur? Si vlla vnquam classis, vllusne exercitus a Pisano populo in externas nationes, omnibus collectis viribus,

bus, apparatu minifico fit conclus; vnũ Christia-
næ Religionis mementum, vnam Deiparæ Vir-
ginis gloriam sibi proponebat. Quod vel pri-
mum tunc temporis indicauit, cum fugato ex Sar-
dinia Musacto Rege, totiusq; insulæ potens, Pa-
normum in Sicilia Saracenis ademit, atque di-
puit, cuius ex victoriæ manubiis, cum omnia bo-
na Virgini accepta referret, eidemque deberi co-
gnosceret, magnificas Præsulis ædes, atque hanc
Basilicam, quam totus admiratur orbis, cuiusque
testimonia prisca Pisanorum potentia, atque im
Deum pietas quam maximè nituntur, hic ædificare
instituit, vbi Deiparæ Reparatæ templum antea vi-
debatur. Quorum animi magnitudinem (nam
ipsa fundamenta futurum templi splendorem ne-
dolebant) admiratione quadam prosequutus Bea-
trix Etruriæ Comes, ac eius filia Matildis, vestigal
ad illud perficiendum tribuerunt, quarum maxi-
mus, laudatissimusque fuit æmulus Henricus ter-
tius, a quo per legatos Pisana ciuitas obtinuit, vt
in valle Serchi plurimi eidem redditus dicarẽtur,
ne iam inceptũ opus Christianæ Reipublicæ ma-
gnum futurum decus in ipso exordio diutius per-
maneret. Sed quæ hostium eruptiones, quæ vndi-
que variarum rerum conflictiones, quæ insigni
pietate Comes, qui Henrici parum animus tum
tis re-

tis rebus vnquam suffecisset, nisi suprano fauente Deo, collecto magno triremiũ numero ad Hierosolymam recuperandam, Pisani Proceres Caloiannem Imperatorem commentum, ac iter impedientem, multis affectum incõmodis, aliquot priuatum Insulis, ad petendam ab iis pacem impulissent, non eidem cõcessuri, nisi cœptum iam Pisis templum suamet absolueret impensa? Quod licet iure belli facere cogerentur, tamẽ in eo, quod se facturum promiserat libentissime præstando, magnam sibi laudem comparare fatebantur. Quid vero? Non ne omnes decuit eorum templum ornare, & augere, qui totius Ecclesiæ pastores fouendo ab immanium hostium rabie tuerentur? Pisanus Populus, inter multa alia pietatis in Deũ signa, Gelasium tertium Henrici tertij Imperatoris iram fugientem, Calistumque secundum e Burgundia Romam iter habentem, cuius imperio Sardinia Pisanis cessit, nemine Christianorũ Principum defendente, suis viribus excepit. At Innocentium secundum, o insanum Anacleti furorem præcauentem, ac Pisas iam antea rutissimum propugnaculum cognitas recto itinere contendentem, tanta animorum omnium alacritate suscepit, vt Diuus ipse Bernardus talem Populi sanctitatem admiratus, in hæc scribẽdo verba erum-

„ peret. Assumitur Pisa in locum Romæ, & de
„ cunctis vrbibus terræ ad Apostolicæ Sedis cul-
„ men eligitur, nec fortuito, siue humano istud
„ contingit consilio, sed cœlesti prouidentia, &
„ Dei benigno fauore fit, qui diligentes se dili-
„ git, qui dixit Christo suo Innocentio; Pisam
„ inhabita, & ego benedicens benedicam ei,
„ hic habitabo, quoniam elegi eam. Me au-
„ ctore Tyráni Siculi inalitiæ Pisana constantia
„ non cedit, nec minis concutitur, nec donis
„ corrumpitur, nec circumuenitur dolis. O Pi-
„ sani, Pisani, magnificauit Dominus facere vo-
„ biscum, facti estis lætantes. Quæ Ciuitas
„ non inuidet? serua depositum Vrbs fidelis,
„ agnosce gratiam, stude prærogatiuæ non in-
„ uenin ingratam, Honora tuum, & Vniuersi-
„ tatis patrem, honora mundi Principes, qui in
„ te sunt, & Iudices terræ, quorum re præsentia
„ reddit illustrem, glorioſam, famoſam. Quæ
monumentorum elogia vlla vnquam iactare pos
sit Ciuitas, quæ huic vni aliqua ex parte compa-
rentur? Si afferatur causa, Romani Pontificis est
defensio; si auctor, Diuus Bernardus, qui solo
sanctitatis nomine ita elucet, vt eius laudes nulla
eloquentia consequatur, si finis, Christianæ Rei-
publicæ salus. Quid igitur mirum, si in ipso oc-

casu Pisæ reuiuiscunt, & quasi aurum ex ipsis ignibus nitidiores apparent? Aequum certe fuit illorum templa vel non cadere, vel refici ornatiora, quorum opera omnium templorum Antistes, vel non ceciderit, vel aliquando iactatus omnibus ex insidiis euaserit. Quam vere Palma exaltata est in Cades, templo ad hanc pulcritudinem restituto? Miserrimo illo die, quem nemo nostrum sine lacrimis inspexit, nec nisi animo perturbatus reminiscí potest, quasi omnia ad sacratissimam hanc prosternendam arcem coniurassent, vna conuenerunt. Ignis, ventus, serenitas, nox intempesta, quingentorum annorum tigna, vel fomes potius ad flammas facillime concipiendas, res omnes, vt repentinis in rebus inparatæ. Quæ quanto acrius institerunt, eo est glorioſius hæc Palma in Cades exaltata. Nam palma ipsam Ecclesiam repræsentans, Cades vero Virginem Spiritu, & corpore sanctam, vel in hoc exaltatior apparuit, cum assumptæ Virgini templum ad vsque admirationem omnium positum, indicto flammarum bello, celebri victoria non modo tutit, sed speciosissime triumphans, pluribus, nobilissimisque rebus est auctum, vt quasi palma nunquam folia mutans, vel nihil amitteret, vel in longe melius mutaret. Quod ita esse,

licet sub oculis omnium positum nemo non videat, tenere tamen non possum quin præter ea, quæ iam dixi magnificentius restituta, hoc etiam curiose quam possim oratione complectar. Hóc ædium partem, in qua solemniora sacrificia celebrantur, iam non vident mortalium manibus elaboratam, sed ab ipsis decoratam Angelis, ita sunt præclare picti parietes, auro variisque coloribus columnæ, ac recta artificiose distincta, sedes mira opificis industria compositæ, Ara maxima commodius erecta, taroque, ac nunquam ante hac pari arte Christi in Crucem elati ex ære signo cum adorantibus Angelis illustrata. Quo munere cum templum suũ Antistes amplissimus Carolus Antonius Puteus donasset, basilico apparatu ad Sacra facienda cumulauit, quem, quis mira captus lætitia videns, lactimas non effudit, ad Aram prima post reditum sacra celebrantem, summoque Deo gratas, quam maximas posset pari pietate peragentem? Non poterat Pisana Ciuitas tanti Pastoris beneuolentiam erga se singularem cognoscere, licet pernigil, anxiferaque eius cura tot in rebus, quas norunt omnes, quam maxime commonstrarit, nisi nouum aliquod monstrum fuisset superandum, quo immanius fere nullum, quam sacrarum ædium cuius, quem vidistis, acer-

bissimus

bissimus vrbem nostram vnquam inuaserit. Vnde est, vt in grauissimis malis lætemur, Pisanusq; Populus tam cito tali templo refecto, non paruam apud exteras nationes florentissimæ, vt quidem est, Ciuitatis opinionem sit adeptus. Quid vero non faciat paratus populus, fauente Pastore, Principe non modo annuente, sed curante etiam, nemque maximam, cum opus fuerit, omnibus in rebus libentissime ferente? Omnia nos bene sperare iubet Magnus Ferdinandvs cum religioni studearut, quam ipse, maiorum suorum vestigiis insistens, adeo colit, tuetur, extollit, vt non modo ipsi nos, qui propius illum inspicimus, maximaque animorum hilaritate fruimur, sed cunctæ Christianorum regiones communi vtilitate expectantur. Iactet aliquis plures ab aliis Piratarum triremes vel fugatas, vel incensas, vel captas. Ostentet eorum plura insignia ex Asia atque Africa relata. Prædicet Vrbem, quam Pisas paruo annorum curriculo pluribus, clarioribusue Trophæis exornatam. Reperiat classem, quam plus horreant Barbari, quá, Etruriæ omnia percurrentes maria, triremes. Dicat denique Principem vbicumque terrarum ad hostes Romanæ Ecclesiæ coercendos, ac insequendos paratiorem. Ita vt illud omnino sentire debeamus, nos & maiora

iora etiam à tanto Principe religionis causa esse expectaturos, & Virginem hanc, quam hodie in Cœlum elatam suspicimus, tam pio, ac religioso Principi, vires, Imperium, filios, Connubia sic esse fortunaturam. vt nos omnibus exultemus gaudiis, qui in eius ditione sumus, alij vero potius nobis inuideant, quam parem huic nostræ felicitatem se vnquam sperent habituros,

Dixi.

Orationem hanc De reſtituto Piſanorum Templo imprimendi licentiam concedimus atque impartimur, accedente conſenſu Reu. Patris Inquiſitoris. Die 2. Septembris. 1604.

Coſmus Antellenſis Vicarius Generalis Florent.

Frater Lelius Placentinus Inquiſitor Generalis Florentiæ, concedit vt imprimatur. Die 12. Septembris, 1604.

1035-20

Angelo Pandiscello
restauratore
825660
8274809